



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quomodo cognoscit anima se diligi à Deo, 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Nulla enim est major invitatio, proreptio, & pertractio ad amorem, quam pravenire amando; quia animus, qui prius torpebat, cum se præamari sentit, excitatur. Quod si jam fervebat, quum se amari & præamari didicit, magis accenditur.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, licet me indicibiliter amaveris, ego tamen impiissimus peccator, cor lapideum & ferreum gerens, amorem tuum ignitum in pectore meo frigido non recognovi. Et licet tuam dilectionem, quam ultro impendebas, desiderarem mihi impendi: nolui tamen vice versa dilectionem tibi rependere. Auxiliari igitur mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, qui non potest non amare; & per violentiam tui dulcissimi amoris, compelle rebellem animum meum ad te amandum; ut tibi placide serviam, & vitam obtineam in amore sempiternam.

CAPVT VI.

Quomodo cognoscit anima se diligere à Deo.

1. **S**CIO (benignissime Domine Iesu Christe, amor & amantium vita) quod qui vehementer diligit te, etiam à te infinites vehementius diligi non ambigit. Quique sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia, ac studio, incessanter & ardentem invigilat quo pacto placeat tibi, multo magis omnia hæc in te indubitanter agnoscit. Amor enim tuus amorem animæ parit, & tua præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Qualem

lem igitur se præparaverit anima tibi, talis & tu eminenter per tuam infinitam misericordiam appares ei. Quia scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverte- ris. Quare, & cum amante amans, cum vacante vacans, cum intento intentus, & cum sollicito sollicitus.

2. Tanta est, Domine Iesu Christe, amantium summe, benignitas & misericordia tua erga animas nostras: quod si anima ad te vigilat, multo prius vigilas & tu. Si anima confurgit in nocte in principio vigiliarum, & accelerat quantum potest etiam ipsas longe anticipare vigilias: inveniet te, nec poterit te prævenire. Semper enim in tali negotio plus aliquid tribuis gratiæ tuæ, & plus semper amas: plus quoque extenditur & dilatatur amor tuus ad ipsam animam & ante & post. Quæ omnia devota & tibi grata anima considerans, & sic admirans tuam ineffabilem Majestatem, cætera non curat; sed tibi soli intendere gloriatur, & se tibi soli (te donante) postpositis curis omnibus, tota devotione custodit.

3. O mater amorum, ô amantissime Domine Iesu Christi, tanta & tam inestimabili bonitate redundas, quod semper amando nos, prævenis nos, quærentibus te exhibes & occurras, diligis imo tua immensa dilectio usque ad inimicos se extendit. Nulli te negas, nullum spernis; sed omnes manu amica vocas & recipis; nisi quantum per peccatum à te invito & nolente contumaciter & inobedienter recedunt. Sed adhuc tam immensa & exhibe-

exuberans est tua dilectio, quod in peccatis miserabiliter jacentes, expectas ad penitentiam, & interdum rebelles redire compellis. Adjuvare igitur me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris. Et accende & illumina cor meum durum & rebelle ad amorem tuum: quo adjuvante, de peccatis & malis meis propter te doleam, digne per te satisfaciam. Opera studiosa & tibi placita, corde puro, humili & amanti exerceam: Ut tua gratia praveniente, assistente, & subsequente, sic in presenti vita amore tuo vivam, ut illa finita, ad te gloriosa amandum, misericorditer vitam obtineam sempiternam, Amen.

CAPVT VII.

De operatione amoris Dei.

I. **O** Admiranda divinæ propiationis dilectio. Servi digni non sumus. Tu autem, benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, amorem tuum & dilectionem ostendendo & operando in indignis servis tuis, & (ut de cæteris taceam) in me miserabili creatura tu, à multis variisque periculis me liberaſti. Quia me deviantem reduxisti, ignarum docuisti; dum peccarem, ad poenitentiam expectasti, prostratum erexisti: & ad te venientem, largissima pietate tua suscepisti. Omne meritum meum nihil omnino esse potest, in comparatione operationis amoris tui. Amor tuus dulcissime & amantissime Iesu Christe, operatur in me, sine spe recipiendi à me: *Quia bonorum meorum non eges.*
Neque